



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 9. S. Sabæ, quomodo, in necessitate, à Deo fuerit prouisum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

## §. IX.

*S. Saba, quo modo, in necessitate, à Deo fuerit provisum ?*

Narrat è Cyrillo Baronius, An. Servatoris 513. in Laura, monachis sub Saba degentibus adeò aliquando victui necessaria defuisse, vt ne quidem panis suppeteret Missæ sacrificio peragendo. Is, qui penum ex officio curabat, monuit Sabam, imminere diem Dominicum, neque præsto esse panem, qui posset in Christi corpus consecrari. Nihil ea inopia Sabam turbauit; iussit insuper sacra fidenter & sperari, & apparari. *Est fidelis, inquebat, qui iubet crastinum manere liberum à solitudine, quod attinet ad usum corporis.* Nondum aduenerat, Dominicus dies, & ecce adsunt quidam facie incogniti equifones, cum triginta iumentorum onere. Onus autem erat frumentum, vinum, oleum, & alia monachis idonea ad alimentum; adeò copiosè congesta, vt Laura capere vix posset. His illatis, anxio monitori suo dixit Sabas: *Quid ais? Sacrumne dimitemus ministerium?* Qua voce ita perculit diffidentis animum, vt in genua procumbens exiguæ suæ erga Deum confidentiæ veniam, cum lachrymis, flagitaret.

Baron.  
tō. 6. An.  
513. & Cy-  
rill. in vi-  
ta Sabæ,  
apud Sur.  
5. Decēb.  
Matth. 6.

S. Augu-  
stin. lib. 8.  
Confess.  
c. 11.

Igitur & tu, Lector, quid in te stas, & non stas? Projice te in eum; noli metuere, non se subtrahet, ut cadas, aut fame pereas. Quoties expertus es illius opem, cum non videres, unde iuvari posses? Ne igitur in posterum diffidas, quia experientiâ sperare didicisti.

## §. X.

S. Ignatio Loyola quàm provide succurrerit Deus?

Petr. Ri-  
baden. l. 5.  
vitæ S. Ig-  
natiij, c. 9.

De sanctissimo nostri ordinis Fundatore Ignatio Loiola, in vita eius hæc scribit Ribadeneira. Atq; in hac firmissima in Deum spe, pecuniâq; despicientia, Ignatiij altitudo animi multum excelluit. Erat enim voluntate, req; pauperrimus: animo, Deiq; fiducia opulentissimus. Quapropter nullum, qui ad institutum nostrum aptus, vocatusq; à Deo videretur, à Societate unquam exclusit, propter nostrarum rerum tenuitatem. Illudq; frequenter usurpabat, Nos quidem Deo seruiamus: ille certissime reget nos, & nihil nobis deerit. Iactemus coitatum nostrum in Dominum, & ille nos enutriet. Speremus in Domino, & faciamus bonitatem, & pascemur in diuitijs eius. Et cum quidam non ex externis modo, sed etiam ex domesticis vehementer mirarentur, qua fretus spe, tam

mul-